



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. XIX. Explicatur propositarum artium prior, vilis nempe, imò nulla æstimatio honorum præsentium, ad quorum cupidinem à perverso nostri amore incitatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

## CAPUT XIX.

Explicatur propositarum artium prior, vilis nempe, imò nulla æstimatio bonorum præsentium, ad quorum desiderium à perverso nostri amore incitatur.

**P**Rima itaque ars ad perversum nostri amorem extinguendum apposita erit, omnem ab animo ejicere illorum æstimationem bonorum, quæ ipse pro desideriorum suorum objecto, & pabulo habet: observando ad sincerum humanæ rationis, nedum fidei lumen, quàm exigua, inanis, deficiens, & majori odiosarum qualitatum amaritudine infecta eorum jucunditas sit, quàmque in malorum sint potius, quàm bonorum numero habenda. Quæ ars, uti nihil in iis, unde appeti mereantur, relinquit; ità sola ad omne eorum desiderium abolendum sufficeret, si hæc in nobis ex unica oriretur mentis hallucinatione in iis concipiendis, tanquam valde appeti dignis; non verò ex perversa itidem voluntatis propensione ad quærendum id, quod quæsitum esse indignum fatetur; adeò ut

nîl dubitet palàm contestari : *Videos meliora, probòque, deteriora sequor.* Sed enimvero, quamvis bruta hæc ad malum cognitum proclivitas nostram artem impediatur, nè effectum suum certè, & ubique assequatur; non tamen ei obstat, quin plerumque, & magna saltèm ex parte illius compos evadat. Quantumcumque enim vitiata per primi parentis culpam voluntas hominis sit; vix tamen unquam accidit, ut *deteriora sequatur*, cùm evidenti in lumine, & certo cum iudicio *videt meliora, probatque.* Sed hac solùm de causa in ejusmodi perversitatem prolabitur, quia neque meridiana cum perspicuitate melius à deteriori discernit; neque illud sublustre veri jubar a priori mentis intentione reddere sibi clarius laborat: quin contra (quod incontinentium esse proprium Aristoteles notat) ab eo ipso dedita operâ obtutum avertit: quò nimirum, per voluntariam id genus caliginem possit liberius deteriora complecti. *Noluit intelligere, ut bene ageat.* (Ps. 35.)

2. Proderit itaque ad examen interdum vocare, & suis rite momentis perpendere, quidnam demum sint hæc præsentis vitæ bona, ad quæ naturalis appetitus tanto nos impetu, atque pondere inclinatur, & quorum esse

frænis eupido tam ferali universum latè orbem scelerum, malorúmque omnis generis eluvione obruit. Ut à divitiis, quæ principem inter illa obtinent locum, imò quoddam quasi summarium eorum omnium sunt, initium petatur; dicat mihi, age, qui eas inprimis miratur, atque appetit, quinam proprius, & peculiaris earum fructus sit? Num se possidentem victu, vestitu, cubili, domicilio, & aliis id genus vitæ humanæ subsidiis instruere? Neutiquam certè: cum palàm sit, ad hæc omnia vel mediocres fortunas sufficere; neque simplicibus naturæ desideriiis jucundiùs satisfieri ab eo, qui plus opum possidet: imò, ut rite Xenophon probat, (*in Hierone.*) ordinarii, & vulgaris censûs homines divitibus hac in parte antecellere. Nam, sive attendatur vestitus; & commodiùs, expeditiùsque illo tegitur, cui sufficit idoneum ad propulsandas quomodocunque temporum injurias gestare, quàm qui ad divitiarum ostentationem phaleris exornatus incedit, visu quidem magnificis, sed æquè usu molestis, & ferenti onerosis: sive æstimetur victus; & hoc parabili, ac simplici, longè suaviùs naturam explet, qui pauperum instar frugali mensæ assuetus, nunquam sinè integra,

&

& recenti fame ad eam redit; quàm exuperanti suarum epularum copiâ fruatur, qui ventre semper saturo, & palato propter quotidianæ consuetudinis quasi callum ad delicias percipiendas obtuso moris penè potius, quàm naturalis indigentia causa iis accumbit; sive demum somni ratio habeatur; & nemo non videt, quantò hunc itèm in qualicumque lectulo & celerius inchoët, & quietius continet, qui laboribus, & ministeriis pauperum propriis necessarium fesso corpori reddidit; quàm delicatas inter plumas, & serica aula, qui diem totum per inertiam vix somno dissimilem luxu marcidus, nec ulla re alia, nisi otii sui tædio fatigatus transegit. Si ergo, quantum ad usus, & oblectamenta naturæ, nihil habet fors divitum, quo inopum conditioni antecellat; ubinam tandem illius pretium consistet? Dicam compendio: In hoc totum consistit, ut plus homo possideat, quàm usui sibi sit ad commodè, hilaritérque vivendum. Et testem hujus pronuntiati mei habeo Scopam illum Plutarchi, (*De Cupid. Div.*) qui, rogatus à nescio quo, vas argenteum, tantquam ipsi plurima alia ejusdem generis habenti minimè necessarium; quid? roganti respondit: itáne ignoras, si nihil præter necesse

cessaria possiderem, desitutum me divitem esse: utque sim talis, vel iis opus habere, quæ supervacua cæteroqui ad vitæ usus hominî sunt? Verissimum sanè responsum, & unde ipsi quoque promptum erat colligere, quàm frivola, & nullius pretii opulentia sua esset: dum factus est: non aliò eam revocari, quàm ad supervacua, & quorum unicus possidenti fructus sit, quòd ea possidere vulgò jactetur.

3. Verùm fac præter pompam, atque externum splendorem, aliquid etiam solidæ utilitatis afferrent divitiæ; facilè tamen huic præponderarent tum curæ, quas rei tam caducæ, tótque insidiis expositæ conservatio requirit; tum mærores, queis Domini animum toties sauciari necesse est, quoties jam unam, jam alteram earum partem pro inevitabili humanorum casuum varietate sibi videt deficere: curæ enimvero, & mærores adeò experiienti molesti; ut & Ethnicorum complures nullis earum fructibus noxiam hanc appendicem compensari sat posse arbitrati sint, & subductis utrinque rationibus tranquillam demum paupertatem inquietæ opulentæ prætulerint. Qualem inter cæteros Anacreontem Poëtam accepimus: (*Stob. Serm. 77.*) qui cùm à Polycrate Sami Domino auri

ta-

talentum pro carminibus suis accepisset, & continuò, tanquam uni sibi nominatim dictum, expertus esset illud: *Acquisisti aurum, perdidisti somnum*, (Tr. 10. in Ep. Joa.) quod de similibus hominibus universè dein scriptum à D. Augustino est. Plures siquidem noctes somni expertes traduxit, sollicita cogitatione secum disquirens, ubinam recens aurum collocare, & impendere utiliùs posset. Donec ab experientia edoctus, quàm carò sibi suum lucrum constaret, iratùsque tam importuno muneri, facessere è domo sua illud iussit, Polykrati quamprimùm restituens, cum hoc epiphonemate: *Odi munus, quod vigilare cogit.*

4. Non magno igitur conatu, & labore opus est, ut prudens quilibet rerum aestimator rite observatis, & sedulo examine apud semet ipsũ perpensis fructibus, quos divitiæ corpori afferunt, indè curis, & angoribus, queis animum assiduè perturbant, illis tam exiguis, hisce tam molestis, & gravibus, eas sibi contemnendas, minimèque amandas existimet. At non æquè promptum factu multatis videbitur, sensuum quoque voluptates iracundè contemnere, ut bona, quibus natura vix aliud quidquam vel suavius experitur, vel concupiscit ardentius: adeò ut opinio, summum  
ho.

hominis bonum in ipsis constituens, plus quacunque alia approbationis, & sectatorum invenerit. Sed plurimum tamen ad minuendam corporearum voluptatum æstimationem, atque amabilitatem valet, quòd, quæ ex illis maximè oblectant, extra legitimi concubii cancellos, illicitæ sunt, sordidæ, infames, erubescendæ, & nimium quantum homini indecores, quem rationis penè usu, & innata arbitrii libertate exutum brutis quam simillimum reddunt. Adde, quòd nihil est earundem vel moderatione difficilius, vel intemperantia perniciosius, & miserum magis. Nihil primâ difficilius: degustatæ enim, prout verissimè animadversum à Philosopho est, aviditatem sui non extinguunt, sed acrius inflammant: (L. 3. Eth. c. 12.) *Insatiabilis rerum jucundarum appetitus dum expletur, crescit.* Neque earum aviditas qualiscunque est, sed furiosa, præceps, vesana, & tantum non violenter secum abripiens voluntatem hominis, qui sæpe obsecutus ei fuerit. Præsertim quòd hic, cum exuperanti illarum dulcedini assueverit, parum sentit, & pro insipido habet quodcunque aliud delectationis genus, neque inducere animum potest, ut sinè consueto, unicéque jucundo sibi passu vivat, sed

omne



omne tempus, quo illum non gustat, triste ipsi, ingratumque, ac penè intolerandum videtur. Quòd verò intemperanti earundem usu nihil perniciosius sit, & miserum magis, manifestè demonstrat infelicissima tum vivendi, tum moriendi ratio eorum, qui se illis totos addixerint: vivendi quidem ratio bellæ convenientior, quàm homini, omnis dignitatis, honorificæque apud homines æstimationis expertus, spiritualium rationalis appetitûs voluptatum penitè nescia, turbulentis animi motibus diu, noctûque agitata, crebris cruciatibus, & morbis infesta, cuiusque infelicitas nequeat ab homine, qui eam experitur, non identidem animadverti; vel animadvertenti non acrem doloris sensum, & triste sui tædium afferre. Moriendi autem ratio ferè semper præmatura, non rarò violenta, & plerumque non aliud, quàm feralis ab interitu temporario ad sempiternum transitus. Quocirca deducturus ab errore ad saniores mentem eos, qui voluptates prædictas non nisi secundùm illecebrosam earum speciem intuentur, magnique ideo boni, & imprimis expetendi locò habent; unum ex his aliquem, quicumque demum ille fit, hoc dilemmate urgendum suscipio: vel habes in ani-

animo, hujusmodi voluptates non nisi par-  
cè, ac temperanter degustare, quantum nem-  
pe valetudinis ratio, bonæ existimationis cu-  
ra, & nonnulla æternæ incolumitatis spes fe-  
rat; tuusque ille gustus, intra pauca momen-  
ta evanescens, non modò te minimè exple-  
bit, sed novam potiùs in tuo naturali appe-  
titu excitabit cupiditatem, eodem plenius de-  
inceps, atque effusiùs fruendi; cui tamen cu-  
piditati prædicti tres valetudinis, famæ, &  
salutis sempiternæ respectus te indulgere  
non sinent: atque hoc pacto delectatio tua  
quidem erit brevissima, cruciatus verò fitis  
ex ea ortæ perpetuus. Vel contrà mens tibi  
est, nullum prorsus effrænatis sensuum libi-  
dinibus modum statuere, sed intrà lutulen-  
tam earum colluviem collotenus te immer-  
gere, assiduèque, quantum possis, in iis vo-  
lutare; & quid aliud hoc fuerit, nisi immun-  
dæ suis potiùs, quàm hominis vitam agere;  
totius orbis probrum, & fabulam fieri; va-  
letudinem, quæ omnis voluptatis fundamen-  
tum est, prorsus pessumdare, æternæque sa-  
lutis negotium in extremam propemodum  
desperationem adducere? Nè interim Riva-  
lium æmulationes, furias, atque odia, soli-  
tisque ex his consequi insidias, rixas, & cæ-  
des

H h

des

des commemorem, quarum in præfenti dif-  
 crimine necesse tibi erit continenter verari.  
 Unde ad extremum colligas licet, num ob-  
 lectamenta hujusmodi terrenæ beatitudinis ge-  
 nus sint, pellicere ad sui amorem idoneum;  
 an potius tetra quædam orci species, abster-  
 rendi, fugandique vim habens, qui sincero  
 se obtutu perlustrant.

5. Si porrò à vetitis hisce, & tactûs pro-  
 priis voluptatibus, in quas præcipuè tanquam  
 in pabulum sibi ex omnibus maximè arri-  
 dens appetitus sensibilis fertur, ad alias, que  
 visu, auditu, olfactu, gustûque percipiuntur,  
 libeat mentis aciem reflectere; hæ præ-  
 terquam quòd remissiolem oblectandi vim  
 habent, conveniunt ipsæ quoque cum prio-  
 ribus in morbosa illa conditione irritandæ  
 potius, quàm explendæ cupidinis. Atque  
 utinam non nisi in propria sui ipsarum, que  
 infons plerumque est, materia eam irritarent.  
 Sed progrediuntur ulterius ad excitandam  
 veterarum quoque voluptatum fitim: usque  
 adeò mediocri sua dulcedine, ad sapidiorum  
 illarum jucunditatem anhelandam proce-  
 dentes, ut prodigii instar foret, si quispiam,  
 concessis voluptatibus avidè, & quantum pe-  
 test, genium suum explens, ab omni

se tamen inconcessarum usu abstineret. Re-  
sumpta igitur, qua paulò antè usus sum, ar-  
gumentandi ratione, sic iterum inſto. Vel  
certum tibi est nullas voluptates gustare, nisi  
quibus incolumi divinâ amicitia frui licet;  
vel nullam hujus rationem ducere, dum quo-  
vis earum genere ad plenum te ingurgites.  
Si posterius, jam tibi luculenter ostendi, quam  
ea vivendi conditio exhorrescenda potius  
cuilibet sit ob gravissimas, quibus scatet, mi-  
serias, quàm ulli appetenda mortiferæ jucun-  
ditatis suæ causâ. Sin verò primum, nec  
multum frueris, nec diu, cum mediocris, &  
intrâ breve tempus deficiens sit earum volu-  
ptatum dulcedo. At contra perpetuis, vio-  
lentisque oppugnationibus à vitæ voluptatum  
appetitu infestabere: oppugnationi-  
bus nimium quàm molestis homini, spiritu-  
alia bona, & mala dignè æstimanti: ratione  
tum formidolosissimi discriminis, quod illi  
imminet, nè in feralem divinæ inimicitia,  
æternæque mortis reatum intestino ab hoste  
præceps agatur; tum assidui, intensique co-  
natûs, quo indiget, ut illius aggressiones  
repellat, seque à lapsu tam immani contine-  
at. Quapropter continuus & resistendi  
labor, & succumbendi timor molestiam tibi

H h 2

pa-

pariet, longè omnes prædictorum sensuum delectationes, quà pondere, & vi, quà temporis tractu excedentem. Neque omnibus rite perpensis quidquam ultra obstabit, quin colligas, voluptates corporis quacunque inspiciantur, *plus aloës, quàm mellis habere*: indignas propterea, ut vir prudens vel earum affluentiam ulli invideat, vel magni aliquid boni à se repudiari arbitretur, dum virtutis, sapientiæque studio valere illas jubet: cum revera nihil aliud relinquat, nisi illam *vanitatem, & afflictionem animi*, quam Salomon testatur se nactum, posteaquam profundæ infar charybdis tantum ex iis deglutisset, quantum inexpletæ voracitati suggerere tota florentissimi regni opulentia potuerat: promerita ejus verba declarant: *Quis ità devorabit, & deliciis affluet, ut ego? (Eccl. 2.)*

6. Nobiliores voluptatibus sensuum, nec humano minùs appetitui jucundæ sunt, quæ ex gloriæ splendore, ex nominis celebritate, & plaudentis famæ aura proveniunt: ut videre est in tam multis, quibus hæc merces nihil non laboris leve, nihil non incommodi fatigæ, nihil non periculi contemnendum facit quantumcunque tamen singularis, & incalculabile tamento similis efficacitas sit, qua honoris dul-

dulcedo rapere, & occupare animos cernitur; nihil illâ est, si rationis in trutina perpendatur, vanius, nihil incertius, nihil majori inquietudinum, & molestiarum amaritie dilutum. Vanissimam primò appellavi, tum quia ex falsa imaginatione oritur, qua nobis fingimus, omnium hominum mentes in nos esse conversas, nostrisque in rebus admirandis, & celebrandis assiduè occupari: cùm revera paucissimi in mundo sint, qui compertos nos habeant, paucioresque, qui de rebus nostris aut magnificè sentiant, aut nisi rarissimè, orbitèrque cogitent, aut loquantur; tum quia, etsi omnium mentes, & linguæ in nulla unquam re alia, præterquam in nostri æstimatione, nostrisque laudibus occuparentur; illa tamen æstimatio, illæque laudes nihil denique aliud sunt, nisi bonum nobis extraneum; nec magis idoneum ad minimam utilitatem seu animo afferendam, seu corpori, quàm idoneæ ad pascendos convivas cereæ, sericæve epulæ forent, queis nonnunquam suas cœnas instruxisse Heliogabalus fertur. (*Lamprid.*) Adeò ut nostram lætitiâ, & felicitatem in ejusmodi bono constituere non minoris amentix sit, quàm si eam in umbra aliqua constitutam vellemus, aut somnio.

7. Adde, quòd præter futilitatem modò dictam, nihil est hoc eodem bono, ac proinde etiam voluptate, quæ indè hauritur, quantum ad durationem incertius, imò etiam ad conversionem in contrarium proclivius. Cum enim omnis nostra gloria multitudinis iudicio, & favore nitatur; quotusquisque non videt, quàm nullius stabilitatis, & prorum in ruinam sit hoc illius fundamentum, quàmque ex facili possit contingere, ut illi ipsi, qui nunc nos mirantur, & secundis in cælum plausibus ferunt, repente, cùmque id minime expectamus, seu malignis adversum nos invidorum sermonibus creduli, seu quòd offensos se à nobis in re aliqua existiment, seu quavis alia de causa diversum erga nos animum induant, aliis nos deinceps oculis spectent, alios de nostris rebus sermones instituant, transeuntes ab honore ad contemptum, & ab amico laudandi studio ad iniquam obrectandi libidinem? Et ecce tibi nostram illam gloriam adeò sublimem, ac splendidam, quæque Babylonici instar colossi videbatur fronte cælum contingere, quia super fragili base instabat, temporis momento labefactatam, inque pulvere, & luto submersam. Ut proinde, qui felicitatem suam in æstimatione,

fama hominum ponunt, videantur iis similes, qui, teste Plinio, divitiarum suarum decus in crystallinis vasis ponebant, facillimis subito in frusta comminui, suumque possessorem ex opulento inopem reddere. *Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria, habere, quod possit statim totum perire. (Præf. L. 5.)*

8. Unde porrò tertium prædictæ voluptatis vitium subsequitur, adjunctarum nempe, & vix non eam penitus majori suo pondere obruentium, molestiarum permissio. Quid enim? Nōne ejusmodi sunt timores, quos inter gloriæ amatori semper vivere necesse est, ut in præsentī, & assiduo versetur illius amittendæ, aut saltēminuendæ discrimine? An non ejusmodi quoque sunt amarissimi invidiæ stimuli, quibus jam hujus præconia audiens, jam illius incrementa aspiciens, fodicari sibi animum sentit, coactus timere, & tanquam adversarios intueri præstantissimos quosque hominum in terris viventium, nimirum eos omnes, qui eminentiori virtute, atque gloria officere suis luminibus possunt? An non talis denique est durissima alienis judiciis, atque arbitriis subjectio, cujus ferre jugum compellimur: nunquam audens ingenui, & liberi hominis ritum palam



se proderet, sed meticulosa dissimulatione interiorum animi motus celans, inque omni externo vitæ actu cautissimè se ipsum circumspiciens, nè fors aliquid minùs considerate dicat, aut faciat, suæ famæ minùs respondens; & unde, qui adsunt, illius despiciendi occasionem possint sumere: nec minori studio laborans omnibus obsecundare, omnes revereri, ad omnium mores, propensiones, atque ingenia se totum componere, quò vicissim sibi omnium voluntatem, favoremque conciliet? Profectò, etsi honor bonum esset, non quale illud ratio demonstrat, imaginarium, & futile, sed solidis, certisque, & eximiiis fructibus scatens; adeò tamen tristis, atque onerosa hæc est agnatarum ei sollicitudinum, & indignitatum appendix; ut nemo, quem aliquis sensus libertatis, & quietis suæ tangit, deberet tam carò emptum velle. Et hæc quidem valent, ubi etiam de vero honore agitur, & legitimo, qui homini ob interiores suas dotes defertur, æque iusta illius meritorum, virtutumque, & rerum gestarum æstimatione oritur. Nam, quod ad honorem spectat merè externum, qui personis potentibus non aliâ, nisi fortunæ causâ exhibetur, inque pervulgatis tantummodo reve-

rentiæ significationibus totus consistit, sinè ullo interim erga illas observantiæ sensu, imò etiam persæpe cum vili earundem æstimatione, & contemptu; nemo non videt, quàm nullius pretii sit, quàmque nullam oblectandi, & capiendi vim habeat, nisi mentes fatuas, veri inanès, & stolidæ fumo superbiæ obcæcatas.

9. Examinandum jam subit, numquid saltèm principalis fortunæ, & dominationis potestas mereatur, insigni quapiam sua dote hominum ad se studia, & desideria pellicere? Et videtur profectò mereri; cum nimis quàm volupe homini sit, nullius imperio subesse, imò & plures populos suo imperio subjectos habere: adeò ut non plenam solummodo libertatem obtineat, faciendi quæcunque voluerit; sed pari etiam vi polleat, cogendi alios ad facienda, quæcunque imperaverit: nemine interim existente, qui suæ voluntati obluçtetur, illiúsque executionem præpediat. Jucundissimum esse quidem id fateor, neque idcirco negaverim, optabilem, quàm quæ maximè fortunam principum fore, si hoc tam felici privilegio gauderet. Sed quem, rogo, unum inter populorum rectores, & terrarum Dominos ulla mundi ætas vidit,

tanta opum vi subnixum, adeoque omnipotentis arbitrii, ut ejus placita nullum obicem unquam offenderent, sed plano omnia, & æquabili cursu ad propositum sibi finem pervenirent? Itane non advertimus, hujuscemodi decus humana conditione altius, uniusque proprium DEI esse, *cujus voluntati nemo potest resistere*? Cedo igitur mihi ex terrenis principibus maximum. Quantacunque innitatur potentiâ, cum mortalis tamen sit, multa ejus consilia, vel ex instrumentorum defectu, vel ex ministrorum inertia, vel ex improvisa fortuitorum casuum vi in irritum cadent: multa quoque illius rationibus, & votis adversa, eo frustra obnitente contingent, quos inter eventus humanis sanè in rebus creberrimos, qui voluntati propriæ vehementius studet, *quodque vult, nimis vult*; fieri non potest, quin perturbetur animo, iraque effervescat, & potiolem ævi partem inquietus, atque æger traducat. Præsertim quod successuum votis arridentium voluptas nequam esse tam sensibilis solet, quàm adversorum mœror: uti exemplo esse potest Antiochus Rex Syriæ in sacra Machabæorum historia, qui, quod sinistro eventu multatæ destinationes quædam suæ essent; (L. 1. c. 6.)

Decidit in lectum, & incidit in languorem præ tristitia, quia non factum est ei, sicut cogitabat, & arbitratus est se mori. Ad quæ omnia demum accedit, quod ut aliquis arbitrato suo vivat, haudquaquam satis illi est, imperii potestatem obtinere in reliquos homines, nè horum quispiam voluntatis suæ effectiorem impediatur; sed necesse adhuc habet, intestinis affectionibus suis dominari, nè indomita earum vi operari cogatur contra id, quod cæteroquin utilius sibi esse intelligit, & ut tale rationali appetitu suo vellet. Quo interiori dominatu non omnes potiuntur, qui è solio dant populis jura, servi non rarò suarum libidinum, neque valentes tyrannicæ earum potestati resistere, quin multa violenter, & contra superiorem voluntatem suam actitent.

10. Nec secùs de mentis, atque intellectus oblectationibus ratiocinandum videtur. Quamvis enim multum hæc voluptatis percipiat ex libero cogitationum per promiscua quæque objecta discursu, èque curiosa ignorantarum quarumvis rerum indagine; illa tamen, quantacunque sit, voluptas majoribus ei constat dispendiis. Nam, quod ad curiositatem omnia investigandi, noscendique attinet; vel hæc circa universalalia quidem, sed supervacanea

nea

nea veri arcana versatur; & quidquid temporis, studiique in iis ponit, necessariorum, magisque utilium inquisitioni subtrahat necesse est; vel peculiare aliorum hominum eventus, atque facta pro pabulo habet; & communis usus luculenter demonstrat, quanta suspicionum, odiorum, irarum, idque genus noxiorum affectuum seges ex inutilibus iis notitiis progerminet. Quantum verò ad effrenatam cogitationum libertatem, præsertim ubi illæ futura præfagiunt, vel purè possibilis, & nunquam futura per ludicram, somnifque simillimam imaginationem tanquam præsentia sibi exhibent; præterquam quòd ea mentis occupatio, mera boni otii jactura, periculosa levitas, & vana sui ludificatio est, etiam plures affectus perversos, puta inanis gloriæ, vel concupiscentiæ, aut ambitionis excitare, ac fovere consuevit; aliud itè nec exigui sanè ponderis damnum animo parit: nimirum: quòd permittens aliquis suas cogitandi, & imaginandi facultates, quacunque sibi libeat, vagari, difficillimum experitur, easdem licentiæ illi assuetas, ubi usus sic poterat, refrænare, & ab objectis suæ quieti contrariis abducere. Quò fit, ut ejusmodi homines, si fortè injuriâ, vel calamitate aliqua

affecti fuerint; cernantur plurium horarum spatio, imò etiam solidos nonnunquam dies in odiosa illius mali imagine defixi hærere; nec posse, quantumcunque conentur, illius ab aspectu mentis oculos aliorum convertere; sed velint, nolint, eam ubique præsentem habere, & amarissimum indè perturbationum, irarum, ac mœrorum fel sugere: luentes hoc pacto cum majoris tristitiæ, & inquietudinis scœnore dulcedinem illius libertatis, cui sese inconsultè dediderunt.

II. Quisquis ergo inhærentia hæc pertenui bonorum mortalium jucunditati mala solerti, & repetito pluries examine apud semet ipsum perpenderit; næ non magno is negotio ad omnem eorum æstimationem, cupiditatè que exuendam induci se sinet: parum, imò nihil inter illorum affluentiam, atque inopiam discriminis ponens, neque magno virtutis conatu indigere se putans, ut iisdem, quodocunque sinceri alterius, & solidi boni ratio postulaverit, nuntium remittat.

